

et omnino caueant, quod pruritus calumniandi ex eorum calamo excussit, illis autoribus esse euulgatum. Sciunt enim aut tales omnino se esse quales alios fingunt: aut improborum esse latere, ne deprehendantur, et iusta supplitia exoluant. De his Christus lux mundi, ultor criminum, maledicorum insectator: Omnis qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius. Sed mitto nebulones istos et Sycophantas, quos licentia bellorum civilium genuit, et pax ab omnibus speranda extinguet. Et ad te redeo. Peritantissime vir, hocque intueor opus quod amplitudini tue rependo. Magnum plane non tam mole, quam optimorum estimatione. Continet tot mundi luminum lucubrationes, tot sanctorum miracula, oracula dico; tot Patrum ornamenta et antiquitates; Profundissimam omnium ferme Doctorum Theologiam, scripturarum elucidationes perpetuas, morum sapientissimas informationes, Thesaurum sapientia et scientia absconditum referat, effodit, exponit gratis comparandum. Et ne pusillorum terreatur animus, voluminum et operum immensitate, ita cuncta colligit, ut sub uno aspectu multa simul possint comprehendendi. Habet igitur amplitudinem virtutis et pretij.

Ecquid satis amplum rependerent Minimi, amplissima in illos beneuolentia vestra? Ampla tibi sunt omnia mens, ingenium, consilium, dilectio, dignitates, fortuna, virtutes, in Republicam, Regnum, tuos, et extraneos beneuolentia et officia. Quid-ni est quae rependuntur meritis tuis monumenta? Prodeat utinam in hunc finem et haec Bibliotheca, felici successu, auspicijs nixa uidentis Bibliotheca in sinu mentis tuae recondita, cuius et illa testis est fidelissima, quam est melioribus libris, tam impressis, quam manuscriptis apud te immensis sumptibus, studio indefesso, sollicitudine continua et multorum annorum materialem collegisti et adornasti. Pereant funesto casu ille quae anima sua, dico possessori: optima litteratura destituuntur; velut riuuli est suo fonte euulsi. Subsistat quam comparasti tibi, et quotidie ditiozem reddis, tuo fota animo, tua scientia illustrata et uiuens; quam spes est et a posteris studij amantijs successiue conseruanda. Si tale iudicium est tua, quia tua est; sit et mea haec tui iuris, ut apud populos uiuat, serpat fructificet eodem tuo ducta spiritu. Nihil meum, aut antecessorum meorum in ea deprehendatur, nisi aut quod uiciosum forte fuerit; aut, quod praetendit, amoris erga te mei et singularis obseruantia monumentum, quo me titulo subscribo.

Tuus ad omnia in Domino seruus & addictissimus,
Fr. PETRVS PIIART Minimus.